



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

Art. II. An Spiritus Sanctus pro principio sui productivo duas personas
simul spirantes perse postulet?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77146)

ARTICULUS II.

An Spiritus Sanctus pro principio sui productio duas personas simul spirantes per se postulet?

62. **N**egant Scotus & ejus Discipuli in 1. dist. 12. qu. 1. A. Affirmant D. Thomas locis infra allegandis, & alii Theologi communiter. Unde sic

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico breviter, Spiritum sanctum pro principio sui productivo per se duas personas exigere, Patrem scilicet & Filium.

63. **P**robatur primò ex D. Thoma hic art. 4. ad 1. ubi formaliter docet, quòd si attendatur virtus spirativa, Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, in quantum sunt unum in illa: si verò consideretur supposita spirationis, sic Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, ut sunt plures; procedit enim ab eis ut amor unitivus duorum. Idem docet qu. 1. o. de Potentia art. 2. ad 15. his verbis: *Cum Spiritus Sanctus sit amor mutuum & nexus duorum oportet quòd à duobus spiratur.* Et in 1. dist. 11. qu. 1. art. 2. & art. 4. ad 2. ponit distinctionem inter creationem, & processionem Spiritus sancti, in hoc quòd creatio est actus trium personarum, non secundum quòd distinguuntur, sed secundum quòd uniantur in essentia: quia etiam per intellectum remotà distinctione personarum, adhuc remanebit creatio: sed spiratio est actio conveniens pluribus suppositis secundum quòd distinguuntur.

64. **P**robatur etiam conclusio ratione: Spiritus sanctus ex vi suæ proprietatis personalis quam modò habet, distinguitur realiter à Patre & Filio: Ergo per se, & ex vi ejusdem proprietatis personalis, postulat realiter à illis procedere. Antecedens patet: quia non distinguitur ab illis per accidens, sed per se, atque ita non à uno quàm ex vi suæ proprietatis personalis. Consequentia verò probatur: quia realis distinctio in Divinis, non est nisi per oppositionem relativam, nec oppositio relativa, nisi ratione originis unius personæ ab alia, ut patet ex dictis articulo præcedenti.

65. **D**einde, Amor per se petit procedere, non ab ipsa natura immediate, ut à principio quòd, defectu oppositionis relativæ, sed ab aliqua persona: Constat autem ex dictis ibidem, quòd per se petit procedere à persona Verbi; nec potest negari quin etiam petat per se procedere à Patre, cum ille sit primum principium spirativum ut quod; & cum hoc ipsum quòd Spiritus sanctus procedit à Filio, ipse Filius à Patre habeat, à quo æternaliter genitus est, ut in Concilio Florentino dicitur: Superest igitur Spiritum sanctum per se postulare ad sui productionem, duas personas spirantes, scilicet Patrem & Filium.

66. **T**ertio id efficaciter suadet ratio, quæ D. Thomas locis allegatis insinuat: Spiritus sanctus ex sua proprietate personali habet quòd sit mutui ac reciproci amoris terminus: Sed amor non potest esse nec intelligi mutuus ac reciprocus, sine pluralitate suppositorum. Ergo Spiritus sanctus ex sua proprietate personali pro principio sui productivo pluralitatem suppositorum exposcit. Minor patet, Major autem probatur. Spiritus sanctus per se petit ex perfectissimo & secundis-

A fimo amore procedere; Sed hujusmodi amor est amor amicitia; mutuus ac reciprocus; ille enim multò perfectior est amore concupiscentia; vel simplicis benevolentia; Ergo Spiritus sanctus ex sua proprietate personali exigit ex mutuo ac reciproco amore procedere.

Confirmatur: Spiritus sanctus ex vi suæ processionis habet, quòd sit nexus individui Patris & Filii, ac suavissimum osculum utriusque, ut passim docent SS. Patres, præsertim D. Bernardus *serm. 8. in Cant.* cujus verba infra referemus: **A**t hæc sine amore mutuo & suppositorum pluralitate intelligi nequeunt, ut patet: Ergo Spiritus sanctus, pro principio sui productivo, per se duas personas exigit.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objiciunt primò Scotista: Quando in uno supposito est adæquata virtus ad productionem illius se habet suppositorum pluralitas; Sed in una solùm persona divina, v. g. in Patre, est adæquata vis spirativa, seu productiva Spiritus sancti: Ergo ad ejus productionem pluralitas suppositorum per se non requiritur, sed per accidens se habet.

Confirmatur, & magis illustratur hæc ratio, Pluralitas personarum per se non concurrat ad productionem creaturarum, ut disp. 7. art. 1. docuimus: At id non aliâ ratione, nisi quia virtus productiva creaturarum est adæquata in qualibet persona, ratione Deitatis: Ergo si vis spirativa ratione Deitatis refideat adæquata in Patre, dualitas personarum ad illius productionem per se non exigitur.

Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: si in illo supposito sit adæquata virtus, & etiam omnis conditio à termino postulata, concedo Majorem; si aliqua conditio deficiat, nego Majorem; & concessa Majori, nego Consequentiam: nam licet in Patre sit adæquata virtus, non tamen est in illo omnis conditio à termino postulata, ut constat ex dictis, Unde ad confirmationem, concessa Majori, nego Minorem: libo enim pluralitas personarum per se non concurrat ad productionem creaturarum, quia in qualibet persona refidet vis productiva, omnisque conditio à creaturis postulata.

Dices, si Patri defuit aliqua conditio ad productionem Spiritus sancti requisita, non erit perfectum illius principium: Sed hoc non est dicendum: Ergo nec illud.

Sed negatur sequela; Cum enim principium quod perfectio sumatur ex principio quo, & nihil operans ad principium quo defuit Patri aut Filio; licet cuilibet illorum seorsim aliqua defuit conditio, potest tamen quilibet eorum perfectum Spiritus sancti principium.

Objiciunt secundo: Si per impossibile Patet sine Filio maneret posset spirare, & Spiritum sanctum producere; Tum quia id supposuimus articulo præcedenti: Tum etiam quia adhuc Patet haberet voluntatem fecundam: Ergo Spiritus sanctus non petit per se à Patre & Filio procedere, Consequentia patet: quia non aliâ ratione disp. 7. probavimus, Trinitatem personarum non concurrere per se ad creaturarum productionem, nisi quia, si per impossibile Deus esset unus & non trinus, adhuc remaneret creatura.

ARTICULUS III.

An Pater & Filius proprie sint, dicanturque unum Spiritus Sancti principium?

Ratio dubitandi est, quia licet in Patre & Filio sit una virtus spirativa, sunt tamen duo supposita spirantia, & per se ad spirandum requisita: Ergo vel dicendi sunt duo principia, & non unum Spiritus Sancti principium, vel unum & duo. Consequentia probatur: Ad actionem enim non solum concurrunt principium quo, sed etiam suppositum agens ut quod: Ergo si Pater & Filius sint plura supposita spirantia ut quod, dici debent plura principia, & non unum, vel ad minus unum & plura; primum, ratione unitatis virtutis; secundum, ratione pluralitatis suppositorum.

77.

Hoc argumento convicti Durandus & Gregorius docuere Patrem & Filium duo Spiritus Sancti principia posse dici: Gabriel verò & Okam unum & plura.

Sed hæc sententia, ut erronea vel temeraria, communiter rejicitur, præsertim ob definitionem Concilii Lugdunensis, relata in cap. *fideli de sum. Trinit. & fide Cathol.* in sexto, ubi damnantur illi, qui temerario ansu asserere presumpserint, quod Spiritus Sanctus à Patre & Filio, tanquam ex duobus principibus, & non tanquam ex uno procedat. Item in Florentino in literis sanctæ unionis, duo ab omnibus Christianis tanquam de fide credenda sanciantur: primum, quod Spiritus Sanctus à Patre & Filio producit: secundum, quod ex utroque, tanquam ab uno principio, & unice spiratione procedit. Ubi particula illa, tanquam, non est diminutiva, ut dicit Gregorius, sed expressiva, seu explicativa: sicut cum Joann. 1. dicitur: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre.*

78.

Eadem veritas suaderi potest duplici ratione D. Thomæ *hic art. 4.* Prima est, quia Pater & Filius in omnibus sunt unum, in quibus non obviat relationis oppositio: At in hoc quod est esse Spiritus Sancti principium, non opponitur relativè: Ergo sunt unum principium.

79.

Secunda ratio sumitur ex differentia, quæ inter nomen substantivum & adjectivum reperitur: primum enim, quia formam per modum per se stantis significat, ad sui pluralitatem petit pluralitatem formæ significatæ; adjectivum verò, quia significat formam ut secum non afferentem proprium suppositum, sed ut alteri adjacentem, numerum non à forma, sed à subjectis accipit: At hoc nomen, *principium Spiritus Sancti*, substantivum est, & forma significata (virtus scilicet spirativa) non pluralitatur in Patre & Filio, sed unica in illis est, sicut & unica essentia ac voluntas: Ergo Pater & Filius sunt, & dici debent, non duo principia Spiritus Sancti, sed cum proprietate unum.

80.

Ad rationem verò dubitandi Molina *hic disp. 2.* Nazarius *controv. 2.* & Becanus *tract. de Trinit. cap. 6.* respondent principium spirativum non supponere immediate pro Patre & Filio, sed pro Spiratore ut quod, utriusque communi, & ratione ab illis distincto, consistente in relatione spirationis, subsistente ut quod in natura & voluntate divina. Uode sicut non obstante quod tres personæ divinæ personalitate distinguantur, dicuntur unus Deus, & unus Creator; eò quod

K k 3 hie

Respondeo distinguendo Antecedens: posset Antecedens procedere Spiritum Sanctum, qui esset ejusdem rationis adæquatè cum Spiritu Sancto, qui de facto datur, nego Antecedens; qui non esset adæquatè ejusdem rationis, transeat Antecedens, & distinguo Consequens: Ergo procedere à duobus personis non est de ratione Spiritus Sancti, adæquatè considerari nego: in adæquatè considerati, quare considerari nego: in adæquatè considerati, concedo. Solutio patet ex supra dictis; si enim Spiritus Sanctus à solo Patre procederet, caretet aliqua proprietate personali, quam habet ex vi suæ processionis, scilicet esse terminum mutui amoris, & suavisimum duarum personarum nectum & osculum.

Inhabis: In data hypothese Spiritus Sanctus terminet terminum mutui amoris: Ergo esset ejusdem rationis adæquatè cum Spiritu Sancto, qui de facto datur. Antecedens probatur: quia procederet ex amore, quo Pater & Spiritus Sanctus se mutuo diligunt: Ergo procederet ut terminus mutui amoris.

Respondeo negando Antecedens. Ad probationem, distinguo Antecedens: procederet ex amore, quo Pater & Spiritus Sanctus se mutuo diligunt, quatenus esset Patris subjective, & Spiritus Sancti objective, concedo Antecedens: quatenus esset utriusque subjective, seu principiative, nego Antecedens, & Consequentiam, Amor enim solum intelligitur mutuo adæquatè, quando est subjective seu principiative à duobus suppositis se diligentibus, non verò quando est unius principiative, & objective solum alterius.

Opponit tertio: Ratio mutui nullam addit perfectionem ad amorem divinum: Ergo ex eo, quod Spiritus Sanctus petat procedere ex amore per se illi, non testè infertur, postulare per se procedere ex amore mutuo, quo se diligunt Pater & Filius. Antecedens probatur: Nam ratio mutui solum addit vel relationem rationis, vel relationes reales personales: At ratio rationis per se non est; relationes etiam personales perfectionem essentiali non addunt, ut disp. 3. videmus: Ergo ratio mutui nihil addit perfectionis ad amorem divinum essentiali.

Respondeo primo, quod licet ratio mutui non addat perfectionem, addit tamen modum perfectionis amoris essentiali, & illius complementum; de hoc sufficit, ut Spiritus Sanctus per se procedere petat ex amore mutuo; quia procedere debet ex amore essentiali, ut completo, & terminato, & quasi affecto modo sibi debito. Sicut in Tractatu de Beatitudine docent nostri Thomistæ, quod licet relationes divinæ perfectionem ad essentiali non addant, non tamen foret beatus ille, qui essentiali divinam videret sine personis, dato per impossibile quod ita contingeret: quia de ratione beatitudinis est, non solum perfectiones divinas videre, sed etiam illarum modos, & ad illas prout sunt in se terminari.

Respondeo secundò cum Salmanticensibus *hic disp. 15. dubio 5.* quod licet relationes & ratio mutui non addant ad amorem essentiali perfectionem entitativè, addunt tamen explicativè, & arguivè: quia si Deo non convenirent, ex hoc argueretur in illo alicujus perfectionis defectus. Unde cum Spiritus Sanctus petat procedere ex amore essentiali, ut explicante omnem perfectionem, petit procedere ab illo, ut terminato & modificato relationibus paternitatis, & filiationis, & per consequens ex amore mutuo Patris & Filii.